

scitat. Hinc etiam *Castoreum* ejusque *Extractum* solet præscribi in *Clysteribus*, in *affectionibus* Apoplecticis & Epilepticis, ubi graviter stimulantibus, revellentibusq; præscribuntur *Clysteres*. In *Apoplexia* & *Epilepsia* *Essentia Castorei* cum ∇ . *Lil.* convallium cum ∇ . *Lavendula*, vel cum ∇ . *Salvia* & similibus factæ solent præscribi. In *tinnitu aurium* & similibus *affectionibus aurium* *Castoreum* est egregium, sive *bombax involutum* applicetur auribus, sive *bombax humectetur* *Essentia Castorei*, & auri indatur, idque eò melius, si cum *Essentia Castorei permisceatur Spiritus Formicarum terrestrium*, & *bombax* irroraretur, & auribus indatur, & mirum est, quantum faciat in *affectionibus aurium*, *tinnitum* arcet, & fortiter discutit. Nam *Spiritus formicarum* per se est *specificus in aurium affectionibus*. *Oleum Castorei* frequenti usu usurpatur in *paralyysi*, & *Tremore* artuum inunctione externa. Sicuti idem *oleum* in *amissa loquela* propter *paralylin linguæ*, *linguæ instillatur* non sine fructu & successu. In *suffocatione uterina* *Extractum Castorei* commodè permiscetur *Clysteribus*. *Oleum Castorei* ante *paroxysmum febrilem* inungitur *spina dorsi*, in *specie in quartana* ad immouendum *rigorem febrilem*. *Essentia Castorei* internè in omnibus *supradictis* usibus convenit. Sic applicatur *abdomini* & *umbilico* in *Colicâ* & *suffocatione uterina* cum *linctis*. *Castoreum* propterea singulariter prodest in *expellendis variolis* & *exanthematibus*: *variolas* tam præservat, quàm curat *Essentia Castorei*, *expellendo malignitatem*, & per *Diaphoresin* discutiendo, & hanc *Essentiam* quilibet sibi habeat *commendatam*. In *ZVVOELFER. Pharmacop. Reg. pag. 67.* prostat *Essentia Castorei composita*, quam inter alia commendat ad *expellendas variolas* & *exanthemata*. *Erb. D. LANGIUS* habuit *Essentiam anodymâ* ex *Castoreo* & *ala fœtida* per *speciem vini* præparatam, quæ præter *virtutes uterinas* ipsi in magno fuit usu ad *præservandas pariter*, & *curandas variolas*, & quidem magna experientia (Has duas conjungit, & egregia præstant) *cognitas* habuit *virtutes* *Essentia* hujus in *variolis curandis* & *dictis affectionibus*. Præterea *Castoreum* corrigis *Ellebori albi* malignitatem & *virulentiam*, uti videri potest in *THONERI Obs. pag. 224.* Supra dixi quod contra *Epilepsiam* sit expertum, *Mirror* interea, cum adeò sit *decantatum*, *ZVVOELFERVM*, quod in *Pharmacopea Reg. pag. 65. & 82.* omnem usum *Castorei in morbis uteri rejicit*, & dicit minimè esse *consultum*, quod præscribatur in *affectionibus mulierum*, & hoc pacto contradicit omnibus medicis, *cujus tamen asserti nullas* video *rationes*. *Hi*, qui *Castoreum* secum gestant in *terra*, *facile suffocantur* & *submerguntur*, quod utut mirum videatur, nihilominus experientiam adducit *BARTHOL. Cent. 2. hist. 17. obs. 16.* ubi mira habet de *Castorei* vi in *submergendo* sub ∇ s.

CATTUS DOMESTICUS.

A Nimal iracundum, & exinde in ira rabidum, venenosum & virulentum: qua

de *virulentia* & *malignitate felium* vid. *KIRCHERVS* in *Scrutinio pestis* pag. 406. ubi habet exemplum de *rabido feli interfecto*, atque *hospitibus in cœna appposito*, iisque exinde in *furorem* & *rabiem actis*. Inò quod *halitus* etiam sanorum sit *venenatus*, & disponat ad *phthisin*, *labem* & *atrophiâ*. *Muio-Medici* s. *veterinarij* ex *felibus* volunt præparare *Medicinam Catholicam* pro *cura vaccarum*, *equorum* &c. h. m. *Felem vivam* coquant in *aqua*, donec *caro contabescat*, & ab *ossibus secedat*: *decoctum refrigeratum* infundunt *bestijs ægrotantibus*, quæ *haustâ* ∇ . *decoctionis Catti* denuò curantur. **AXUNGIA** est in *primis* in usu *Medico*, in *cujus tamen delectu* præfertur *axungia Catti sylvestris* *axungia Catti domestici*. Et quidem *appropriata in primis* est hæc *axungia* pro *inunctione umbilici* in *Epilepsia*, præter eâ quæ habet **AUCTOR**. Refert namque *BRVNNERVS*, quod ex *felis sylvestris fœmella* inuncta *axungia umbilico fœminæ Epilepsia* curet: *Sin ex fele sylvestri masculino*, sanet *Epilepsiam masculi*, adeò ut sit *habendus delectus* in *axungia ratione sexus*. Et hoc confirmet *SCHMUCK* in *Curationibus Magico-Mageticis*, pag. 9. & dicit strenuè *res mira*, *axungiam felis*, *habitâ sexus ratione*, statim *inunctam umbilico Epileptici*, si sit *sanabilis*, *illam curare*: *sin verò sit lethalis*, statim *Epilepticum interficere*, quod an *verum* sit, *experiendum*. Aliàs uti refert *HILDESHEIM, Spicil. 7. pag. 609.* recipitur *masculus* pro *mare*, & *fœmella Catti* pro *fœminâ*, iisque pro *cura Epilepsia* *tertiam caudæ partem* *abscindunt*, & ex *illo erumpentes 3. guttas sanguinis* propinât *ægro calidas* in ∇ . *flor. tilia*, & dicunt, expertum esse *remediû* ad *suscitandos Epilepticos* in *paroxysmo præparatum* & *propinatum*. In *Erysipelate feli* vel *catto nigro* *auricula vulnerata*, atque exinde *extillans cruor* parti *Erysipelacæ* inungitur, *superimposito linteo sicco*, *illico Erysipelas* dicitur *curare*, aliàs *Erysipelas recedere solet*, id quod testatur *LOTCHIVS obs. 97.* In *atrophia* *axungia felis inuncta* est *egregia*, quoniam *impedit*, ne *membra ulterius contabescant*, d. *adjuvat illorum nutritionem*.

CATTVS ZIBETHINVS.

A Nimal peregrinum, de *cujus staturâ* & *figurâ* videantur *rerum expositarum orientalium Scriptores*. Hoc multum *expostulatur*, in *primis* propter *liquorem præprimis juxta testiculos situm*, qui dicitur **ZIBETHVM**, quod ipsum itidem non est ex *testiculis bestiarum*, sed *sunt distincti testiculi Zibethi à vasculo Zibethico*. Nam *vesicula Zibethi* est *membrana vel folliculus membranaceus* *cuti intus impactus*, *hispidus & hirsutus*, in *medio* habens *rimam*, & *quidem sita est* inter *testes* & *penem* in *maribus*, adeò ut sicut *Castoreum* nullum habeat *commercium* cum *membro* & *testibus*. *Intrinsicus carnosa ac dura* continet *granula vel glandulas substantiâ*, duriores *ipsis testibus*, per *quas glandulas transsudat* isti-

* Y

isti-